



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quomodò cognoscitur & testificatur vera fides esse in homine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

3. Fidem veram inesse homini, demonstratur per duo, scilicet pœnitentiam, id est, cessationem à vitijs: deinde per obseruantiam præceptorum DEI, ex dilectione & gratiarum actione accepti beneficij Christi: de primo dicitur Marci 1. Lucæ 24. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum: De reliquo inquit Apostolus: Fides per dilectionem operans bona, placet Deo, Galat. 5. 1. Corinth. 7. Neque circuncisio neque præputium aliquid valet, sed obseruantia præceptorum Dei. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. Lucæ 6. Quid autè vocatis me, Domine Domine, & non facitis ea quæ dico vobis? Illa ergo duo, declinare à malo, & facere bonum, vt Psalmo 33. & 36. dicitur, testificat veram adesse Fidem: quare peccatores, impœnitentes, infideles, &c. non habent fidem veram cordis, ac iustificantem, sed bene fidem oris, de qua Apostolus ad Titum 1. confitentur se nosse Deum ore, factis autem negant. At inquis: Si nullus peccator habet Fidem, ergo non est fides in mundo? eò quòd omnes sumus peccatores. Respondeo: Est peccatum ex natura, quo omnes sumus peccatores. Psal. 50. Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, &c. Ephes. 2. Eramus oēs natura filij iræ. Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Ab illo peccato nemo immunis est, ideò quotidie oramus nobis dimitti debita nostra, Matth. 6. & ingemiscimus, liberari à peccato sicut filij Dei cupientes: Ad Rom. 8. Illa autem peccata nobis propter fidem in Christum condonantur.
4. Deinde est peccatum, quod Lex & Decalogus prohibet, adulterium scilicet, furtum, homicidium, inuidia, luxuria, &c. Qui ergo in illis delectantur & viuunt sine pœnitentia & cessatione, non habent fidem consequendę misericordię Dei, alioqui cessarent, et si ore

ore se iactant habere fidem, efficacia tamen Fidei nō sequitur, donec resipiscāt: effectum ergò Gratiaē non habent, nec illa manet in peccatis contra legem factis, etsi fides oris manet: ideò nihil valet illa fides. Ephes. 5. Hoc autem scitote, quoniam nullus auarus, fornicator, &c. 1. Corinth. 6. Neque molles, neq; fornicatores regnum Dei possidebunt, id est, dum sine cessatione pergunt in vitijs. Ideò filius hominis veniens, putasne inueniet fidem in terra? Lucae 18. Vbi ergò est pœnitentia, emendatio vitæ & timor DEI atque præceptorum obseruantia, ibi adesse fidem veram demonstratur & agnoscitur.

CAPVT VI.  
ARGVMENTA.

1. *Qua de causa dicitur quòd Fides iustificet, id est, iustum faciat coram Deo peccatorem.*
2. *Cur Apostolus dicit, quòd gratis iustificamur gratia ipsius Christi, Rom. 3.*
3. *Quomodo intelligendum quòd idem Apostolus dicit, quod iustificamur Fide sine operibus legis.*



**V**T clarè intelligatur, quare Fidei tribuitur iustificatio, oportet primùm notare promissionem Dei, nempe quòd Deus pater nobis promisit se velle nostrū misereri, delere peccata & remittere propter nomen Christi Actor. 10. Huic omnes Prophe-  
tæ testimoniū perhibent, &c. Item, promisit vitam credenti in Christum, Ioan. 3. His promissionibus Dei assentiri, credere, & velle sibi eas exhiberi, non aliter cōtingit nisi per fidem. Fides primò antè omne opus credit & assentit promissioni & verbo Dei, quē credit veracem, & quòd impossibile sit, Deum menti-  
turi